

Anmerkung zur Vorlage von der Hand des Kopisten, fol. 55v: Ci sono nella carta soltanto i buchi, onde pendea il suggello e l' impressione fattavi dai fili di seta.

Constancia divina favente clemencia Romanorum regina semper augusta, regina Sicilie una cum carissimo filio suo Henrico illustri rege Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Inter actus nostros et bonorum operum dispositionem, que rex regum et omnium donantium donator a primordiis nostri regiminis clementer direxit et misericorditer custodivit, dignum semper ducimus et precipuum arbitramus^{a)}, si ei aliquid offerimus, qui dat omnia, et nostre devocionis affectum proprie^{a)} largicionis munera dedicamus. Illius igitur intuitu, apud quem nec meritum deperit nec quisquam^{b)} irremuneratus relinquit, circa monasterium Floris nostre benignitatis oculos convertentes obtemptu quoque fidei et devocionis, quam tu, frater Mathee, venerabilis abbas Floris, et fratres eiusdem monasterii fideles nostri regiae maiestati fideliter exhibuistis et iugiter exhibetis, considerantes etiam laudabilem religionem vestram et devotas oraciones, quibus apud deum pro regia prosperitate indesinenter insistitis, pro reparatione quoque ac sustentatione ipsius monasterii vestri, quod anno preterito est combustum, de consueta gratia nostra pro salute domini viri nostri serenissimi Romanorum regis et Sicilie semper augusti et nostra concedimus et donamus vobis et supradicto monasterio vestro de Flore in perpetuum dimidium feudum militis, quod in civitate Gerentie et tenimentis ac pertinentiis suis et in Cacurio tenuit quondam Rogerius Sarracenus, de quo nullus est heres, cum hominibus, domibus, terris, vineis et omni iure ac tenimentis et pertinentiis suis secundum quod idem Rogerius Sarracenus ipsa unquam melius ac plenius tenuit et possedit, intuentes de habundantiori gracia nostra, ut ipsum feudum et omnia, que ad illud spectare noscuntur, libere et in capite et absque^{c)} ullo servicio teneatis, sive terra ipsa Cerentie in demanio regio fuerit sive indicione alicuius comitis vel baronis. Ad huius autem donacionis et concessionis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium per manus Aldoini^{d)} notarii et fidelis nostri scribi et maiestatis nostre sigillo iussimus insigniri, anno, mense et indictione subscriptis.

VII. a) *M* b) *übergeschrieben über getilgtem Wort M*
Verdeutlichung übergeschrieben über verb. Aldoini M

c) *asque M*

d) *zur*